

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

LXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

vitâ jucundius ipsâ accidere possit illis, qui omnia mala perpetuantur, qui amaritudinem infernalis exitii perpetuò degustant, quorum vita æterna mors est & supplicium æternum.

LXXIV. Succedit aliud apud Sanfordum, nobisque decimum & quartum argumentum, ab interminabili & nunquam interruptâ dolorum vehementissimorum continuatione, quod his verborum ornamentis format: *Quod si autem hoc ita non sit, ea tamen tormentorum in inferno continuatio est, ut requies nulla, neque diu neque noctu concedatur. Apoc. XIV. II. aut libertas ad peccandum. Quid igitur? Peccatum in inferno statuere non possumus, nisi illam de penarum mitigatione anilem stultitiam revocemus, de quâ Augustinus, Enchir. c. CX. CXII. penas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc iis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest, in iis manere ira DEI, hoc est, ipsa damnatio. Rectè Cyprianus, ad Demetr. (p. 150. ed. Bas. Anno MD XL.) Cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Rectè etiam Bernhardus, de Dedic. Eccl. c. VI. (Serm. VI. in Ded. Templ. p. 399.) Si licet dicere, apud impios est, (DEUS) in dissimulatione, apud justos in veritate, apud angelos in felicitate, apud inferos in feritate suâ. Durum vobis sonat, quod feritatem dixi, ego verò & iram veveor & furorem. Furor itaque Dei, (verba sunt Sanfordi) in damnatos totus effusus est, absque ullâ misericordia demonstratione ad pœnas eorum vel ex minimo mitigandas. Nervus collectionis hic est: Quicumque continuo exquisitissimi doloris sensu ita obruuntur, ut nec requiem unquam habeant, nec finem, illi animum ad peccandum adplicare, adeoque vitiosos committere actus non possunt. Sicut enim in hac vitâ tormentorum acerbitas & vehementia sensu quandoque hominem privat, quod exemplis eorum, qui pressi torturis & eculeo excruciatii fuerunt, docetur: ita in alterâ vitâ, ubi in stuporem redigi sensus haud poterunt, stupore certè intellectum & voluntatem opprimet doloris immanitas, ut fingere scelera & meditari blasphemias & moliri facinora nequaquam sint valitura. Jam verò damnatis perpetuus sine ullâ intermissione, isque acerrimus inuritur dolor. Apocal. XIV. II. & Esai. LXVI. vers. 24. Ergo.*

LXXV. Argumentum decimum quintum constituit auctori-